

E. I. num. 6.

3
1768, 11
**BREVIS
IVRIS ECCLESIASTICI
GERMANICI
NOTITIA**

QVAM
PRAELECTIONIBVS SVIS CANONICIS ET
HISTORICIS

IV. IAN. 1768. hor. m. 7 - 8.

EXORDIENDIS, ET SINGVLIS PER ANVM NON FERIA-
TIS DIEBVS CONTINVANDIS

PRÆMITTIT,

ET

AD ILLAS AVDIENDAS

VTRIVSQUE STVDII ÄMVLOS

HUMANISSIME INVITAT

M. F. IORDANVS SIMON

ORD. EREM. S. P. AVGVSTINI, STVD. REGENS GENERAL. PROV. RHENG-

SVEV. PRIM. DIFFIN., IN VNIVERS. ERFORD. SS. THEOL. DOCT.

ET S. FACVLT. THEOL. ADSESS. IVRIS ET HIST.

ECCLES. PROF. P. O.

ERFORDIÆ, LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. Typ.



CONSPECTVS.

- §. I. **D**uo sunt in hominem Christianum imperia, spirituale
scil & temporale.
- §. II. Vtiusque potestas immediate a Deo est, præstantior ta-
men spiritualis temporali.
- §. III. Vtraque tamen suis circumscripta limitibus;
- §. IV. It, vt neutra sine alterius periculo aliena invadat iura;
- §. V. Sed sunt ambae mutuo conglutinandæ charitatis, pacis &
concordiæ vinculo.
- §. VI. Qualibet eorum potestas suis fulcitur legibus;
- §. VII. Nam & sacerdotium habet potestatem, condendi leges,
quas Canones vocat.
- §. VIII. Varii generis sunt Ecclesiæ Canones.
- §. IX. Etiam Concordata quodammodo Canonum rationem
induunt.
- §. X. His omnibus juris & Historiæ Ecclesiasticae Candidatos
imbuere Professoris Canonum & Historiarum provincia
est, quam sibi ab Eminentissimo Principe Electore Mo-
guntino recens Clementissime demandatam ipsis indicit.

Hoc temperamento de vtriusque (SACERDOTII & IMPERII) pote-
state differendum existimauit, vt PETRI cathedræ & CAESARIS throno re-
verentiam & obsequium meum patescacerem humilis Ecclesiæ filius, fi-
delissimus Imperii subditus. Cl. Berti in fin. Tom. II. Discipl.
Theolog.

§. I.



S. I.

Duo sunt in hominem Christianum Imperia,
spirituale scil. & temporale.



in DEVS mundum conderet vniuersum, ipsius non tam
incolam, quam possessorem & principem a) creavit
HOMINEM. Hominem mirabili, & solum sua omni-
potentia digno opificio, duabus ex substantiis, spi-
rituali una, corporea altera creavit unum. Formavit enim Dominus
Deus hominem de limo terre, & inspiravit in faciem eius spi-
raculum vita, & factus est homo in animam viventem. b)

A 2

Trans-

a) Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini; & re-
plete terram, & subiicite eam, & dominabitini pisibus maris, & volatili-
bus cœli, & vniuersis animalibus, que moventur super terram.

b) L. Genes. C. 11, 7.



A


Translatus in hortum voluptatis nulli subiectus fuisset creaturæ, sed foli, quod ipsum condidit, supremo Numini, & quidem naturali gratitudinis & amoris lege. Patriæ equidem potestati subdita vixisset eiusdem posteritas, sed tam suavi fuissent omnes sanguinis & amoris necessitudine juncti, ut de hac felici societate hominum, nulla nisi charitatis & amicitiae innata lege dubia, dicere licuisset: *Hic subesse, regnare est.*

Sed Felix ille homo serpentis astutia vicitus, factus inobediens Deo, e paradiſo in terram maledictam elicitur, quam coleret, & incolleret sudore ac labore. *corpus dignam* in penam innumeris prope subiicitur incommodis, quæ societatis genuere necessitatem; societas vero genuit rempublicam, respublica Imperium, quod temporalis nomen gerit.

ANIMA, quæ est pars hominis altera, vtique præstantior, quia nobilior, quoque suas luebat penas, subdita peccato; sed non suis a Conditore optimo destituta remediis. Hæc in Lege naturæ mediante in Seruatorem fide erant sacrificia, vota, preces ceter. In Lege vero scripta expiations, purifications, holocausta, sacrificia, viëtimæ, vtique non abs *SACERDOTE*, donec veniret *REDEMOTOR*, qui novam in sanguine suo fundauit Ecclesiam, & novum in ea constituit Sacerdotium ad finem seculi duraturum.

Sic homo, qui in paradiſo quoad corpus & animam libertate fruebatur aurea, ex illo ejactus quoad utrumque hominem dignam in penam ferreo subiugatus est imperio; adhuc tamen & aureo, (si jugiter consideret) temporali scil. ad corporis incolumitatem, spirituali vero ad anime salutem directo. Sic, inquam, duo constituta sunt in mundo super hominem Imperia; utrumque in hominis olim obedientis & liberi, nunc autem inobedientis & servi penam; attamen in incolumitatem & salutem misericorditer a Deo ordinatum. Sic & duo in societate humana constituti sunt Imperatores; unus, qui animas, alter qui corpora regat;

quod



quod enim IMPERATOR in Republica, hoc SACERDOS in Ecclesia,
Atque, ut per decursum distinctius loquamur, temporale Regimen
simpliciter IMPERIVM, spirituale vero nominabimus SACERDOTIVM.

§. II.

*Vtriusque potestas immediate a Deo est, præstantior
tamen spiritualis temporali.*

Nobis de sacerdotio & Imperio V. L. modo sermo non est. Patriarchas non modo temporalium, sed & spiritualium in dominibus suis a Deo fuisse constitutos Principes, vna interpretum opinio est; vnde enim sacrificandi morem didicissent, nisi a Deo? Quoque ex Benedictione primogeniti potestatem utramque a Deo Patriarchis collatam divinant omnes. Quod Moyses & Aaron, cum tempore, tum spirituale, vtique ex Dei ordinatione, super populum Israëlis gesserint Imperium, controversiam non patitur. Post Aaronom in stirpe Levitica substitisse sacerdotium, & non nisi in Christum Redemptorem in morte fuisse translatum, observat Apostolus; Post Moysen vero a Deo fuisse institutos judices, inde Reges, sacra testatur historia.

Christus ex stemmate Davidico oriundus, ut sacra exhibet genealogia, erat quidem hæres domus & sceptri Regis Iuda; verum, ut ostenderet, quod non venisset *ministrari*, sed *ministrare*, fateretur se Regem; a) *Tu dicens*, inquietabat ad Pilatum, *quia Rex sum ego*, sed jam ante adferuerat, *regnum meum non est de hoc mundo*.

Sanguine igitur suo in petra ædificauit Ecclesiam, cuius & ipse caput erat, b) quia sacerdos erat in æternum, non visibilis permanens in mundo, sed redditurus ad Patrem. Ne autem visibilis Ecclesia accephala esset, visibilem sui constituit Vicarium,

A 3

qui

a) Matth. XX, 28.

b) Sunt verba Apostoli ad Ephes. I. 22. *Et omnia subiecit pedibus eius,*
& ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, qua est corpus ipsius.



qui erat PETRVS. Huic, suisque successoribus in animas fidelium plenissimam, & in finem saeculorum duraturam contulit potestatem, inquiens: *Tu es Petrus. Et super hanc petram adiscabo Ecclesiam meam . . . Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis; Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* a)

Dedit & aliis Apostolis seu Ecclesiæ Rectoribus potestatem a Patre commissam sibi, b) ita, ut Episcopi Apostolis ceteris successores hereditario quasi jure Apostolorum consequerentur potestatem, c) sicut Pontifex succedens PETRO summam ipsius in Ecclesiæ obtinuit autoritatem; ut hoc modo superna Christi potestas PETRO & Apostolis ante ascensum caelorum commissa d) tum quoad interna clavum, tum quoad externa morula sub uno capite super universum fidelium ceterum esset in Ecclesia una.

Est ergo potestas spiritualis immediate a Deo;

Sicut & temporalis: Ipse Redemptor, dum Sacerdotis gereret munus, & coram Pilato se adsereret Regem, dicente illo: *Nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te, & potestatem, dimittere te?* Non haberes, reponit Christus, potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Desuper ergo est potestas Imperii; non ob enim potestas, nisi a Deo, ut Apostolus inquit. Et jam in veteri

Lege

a) Matth. XVI. 18.

b) Vide Matth. XVIII. 15. 16. seqq. Ioan. XXII. 20.

c) S. Cyprianus Epist. LXIX "Christus, inquit, dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt, qui vos audit me audit, ceter."

d) Nicolaus I. Epist. LXXIV. Ita discurrit: Subiturus tamen ad eos hanc (Ecclesiam) Apostolis commendavit, ac per eos tanquam hereditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos Pastores & Episcopos ac Pontifices super ipsam confiuit, eius providentia cum induxit, quatenus pro patribus nati sunt filii, & pro iis constituti principes in omnem terram.

Legi distaverat sapientia divina Prov. VIII. 15. 16., Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.

Quæ autem hæc Regum potestas, nisi temporalis, a spirituали discreta? Sic enim eam discernit Apostolus PETRVS: sapienti estote omni humanae creature propter DEVVM, sive Regi quasi præcellentí, siue Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas DEI. ceter. Idem monet D. PAVLVS scribens Romanis: Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt: Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsis fibi damnationem acquirunt.

Miror, quosdam ex ordinatione potestatis a PAVLO memorata mediationem temporalis a spirituali inferre; præterquam enim quod a sensu PAVLI proflus desiliant, nos ipsi facile iis cedimus, inter potestates ordinationem subsistere, non quoad potestatem, quæ æqualiter a Deo est, sed quoad dignitatem; velut enim spiritus præstantior est corpore, ita fæcere datum excellentius Imperio. Hoc corpora, illud animas regit: hoc salutem animalium, illud Reipublicæ incolumitatem intendit; hoc terrena & transitoria, illud divina & æterna administrat. Et, sit licet, Rex sacerdotis curet incolumitatem terrenam, sacerdos tamen Regis cœlestem moderatur salutem. a) Cum igitur objectum & finis sacerdotii sint præcellentiora, ac ea, quæ Imperii sunt, ut illud ordine & dignitate præcedat, aut saltem non succedat, æquitas postulat.

Liceat & aliam potestatis Ecclesiastica prærogativam notare. Hæc secundum normam & formam a Christo Unigenito Dei Filio, Patrique consubstantiali instituta fuit. Est equidem & ipsa Potestas Politica, ut audivimus, a Deo, sed nullatenus speciali institutione

a) "Conferamus, inquit SYMACHVS Papa in suo Apologetico ad Imperia-



tione & ordinatione (si Hebreorum regiminis formam excipimus) a Deo ipso constituta, sed solum ab hominibus per Dei providentiam res humanas sapienter disponentis ordinata, certisque legibus, quibus & ipsi tenentur Principes, circumscripta. Quid? quod sacra Potestas quoad leges suas, quas fundamentales vocant, manet immutabilis, dum interea Potestas politica, quae secundum tempora eorumque vicissitudines, bellorum easus, populorum mores & consuetudines invicem succedentes saepe saepius mutatur, modo hanc, modo aliam regiminis induit formam, & leges reipublicae temporali accommodas condit, abrogatque.

Neque inde, quod in Ecclesia Imperium, & in Imperio Ecclesiam contendimus, nobis obvertat quispiam, nos *statum erigere in statu*; Longa etenim utriusque cum quoad muneric, tum quoad regiminis rationem disparitas est. Ecclesia nonnisi ea, quae aeternam fidelium salutem, & Imperium nonnisi illa, quae subditorum temporalem concernunt felicitatem, curat atque disponit. Et sic utraque Potestas, licet composita, dummodo non confusa, sed suis quaque, vt modo dicturi sumus, limitata terminis, vigebit salva & integra.

§. III.

peratorem ANASTASIVM. "conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanaarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator a Pontifice baptisatum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, paenitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat: ita, ut non dicam superior, certe aequalis honor est." Et S. GELASIVS relatus Can. duo sunt. Diff. XCVI. in Epist. ad eundem ANASTASIVM ann. 494. scripta. "Duo, inquit, sunt quippe, Imperator Augste, quibus principaliter hic mundus regitur: Auctoritas sacra Pontificum, & regalis Potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem. Et S.

CHRY.

§. III.

Ueraque tamen suis circumscripta limitibus.

Sacerdotio claves commisit Redemptor, imperio vero gladium.
Alia clavis, alia gladius munera gerit. Clavis referat & claudit
celi repagula, solvit & ligat vincula peccati. Paucis, clavis dirigit
animas, non corpora: Gladius vero corpora terret, tuerit subdi-
ta, resecat rebellia, a)

Inde-

"CHYRSOSTOMVS Hom. XV. in Epist. ad Corinths. "Iste princi-
"patus (Sacerdotium) civili tanto melior est, quanto terra cælum,
"imo & multo magis, & non multa illi cura est de sæculari vita, om-
"nia autem de coelestibus rebus prouintiat." Consentit ISIDORVS
Pelusiota Epist. 249, hac scribens; "Ex Sacerdotio & Regno rerum
"administratio conflata est, quamvis permagna utriusque differentia
"sit; illud enim est velut anima, hoc velut corpus." Conformati sunt,
que Author Confessi. Apost. L. 11, C. 34. habet: "Sacerdotium ad
"Dei honorem administrat, ut pericula ab anima & corpore propulsat;
"quanto ergo anima corpore præstantior, tanto est Sacerdotium Regno
"excellentius."

a) "Regi inquit CHYRSOST. Hom. IV. de Verbis Ijai., corpora, Sa-
"cerdotii animas commisit Deus." ALEXANDER ALENSIS P. III.
Q. XL. n. 5. ita discurrit super verba HYGONIS alibi referenda;
"Regum est, exercere poenam corporalem, Sacerdotum, spiritualem in-
"fere vindictam; sicut enim Iudeus terrenus non sine causa gladium
"portat, Rom. XIII, ita non sine causa claves Ecclesiæ Sacerdotes ac-
"cipiunt. Ille portat gladium ad vindictam majestatorum, laudem ve-
"ro bonorum; isti claves habent ad exclusionem excommunicandorum,
& reconciliationem pœnitentium." Videtur Alenus ex M. Augu-
"stino suam mutuatam esse sententiam dicente L. de fide & Oper. C. II.
"Phinees sacerdos adulteros simul inventos ultore ferro transfixit, quod
"curique de degradationibus & excommunicationibus significatum est,
"faciendum in tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis gladius esset
"cessans." Non dissimilia sunt Thome Valdensis Angli verba L.
II. doctrin. fidei C. LXXVIII. n. 4. "Terrena, inquit, potestas

B

"caput





Indecens foret, si Imperium Sacerdotio vellet eripere & usurpare claves, ut spiritualia dispenset; incongruum quoque esset, si Sacerdotium veller regium exercere gladium, & propria manu, incauti ad instar Perri, cadere & fundere sanguinem. a)

Quid? ergo Sacerdotium nullam in Imperium, & nullam Imperium in Sacerdotium obtinet potestatem? Vtique. Rex quoque (de fideli etenim loquimur) est membrum Ecclesiae, & clavibus PETRI subditus; suscepit baptismum, solvit a peccatorum vinculis, benedictionem accipit, reficitur viatico; sed, a quibus, nisi Sacerdotii manibus? Sunt & Ecclesiastici reipl. membra; & velut eius incolumente fruuntur, ita & eos huic modo suffragari convenit. Sacerdotii est, Regum quoque invigilare saluti, & Imperii moderari animas; sic & Regis est, non tantum laicorum, sed & Ecclesiasticorum promouere incolumentem, Ecclesia tueri jura, & contra usurpantes Christo vindicare gladio. Postulat autem aequitas, ut, qui gaudet beneficio, portet & onera muneri suo congrua, nisi munificentia Majestatis exemerit regale Sacerdotium, non solum, quia sic voluit, sed & quia immunitas ecclesiastica tum ob dignitatis sacerdotalis excellentiam, & ob muneris Deo dicati exig-

gen-

"caput Regem, spiritualis potestas caput habet summum Pontificem.
"Ad potestatem Regis pertinent, quae terrena sunt, & ad terrenam vi-
-20-
"tam facta omnia. Ad potestatem summi Pontificis pertinent, quae
"spiritualia sunt, & vita spirituali tributa univerba.

a) *Ostus Cordubensis Episcopus Imperatorem Constantium bis alloquebat*
verbis: "Tibi Deus Imperium coniunxit, nobis, quae sunt Ecclesiae,
"concedidit. Et, quemadmodum, qui tuum Imperium malignis ocu-
"lis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita & tu cave, ne, quae sunt
"Ecclesiae, ad te trahens magno criminis obnoxius fas. Date, scriptum
"est, quae sunt cæsaris, cæsari. & quae Dei, Deo. Neque igitur fas est
"nobis, in terris Imperiorum tenere? neque Tu Thymiamatum & sacro-
"rum potestatem habes, Imperator." *Vid. S. Athan. Epistol. ad*
"folit.

* * *

gentiam, tum ob ipsius supremi Numinis mandatum atque exemplum sic decuit.

§. IV.

Ita, ut neutra sine alterius periculo aliena invadat jura.

Quid autem, inquires, si Rex Ecclesiæ, aut Reipublicæ hostis omnia pessumdet, *Sacerdotium* atque *Imperium* fusque deque verat, an non tunc Pontificis est, exercere gladium, indignum everte re throno, & ad saniora cogere consilia perversum?

PETRVS, cum sacrilegis scurrarum manibus supremum videbat vinciri SACERDOTEM, gladium strinxit, & ecce imperio irruens abscedit Malcho auriculam. Quid supremus Ecclesiæ Rector? converti, inquit, gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui gladium accipiunt, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Et, ad quid? ut indignum: puto, ejiceret CAIPHAM, ini quum pelleret PILATVM, & omnem subverteret Hierosolymam, imo Iudeam. Potuit, sed noluit, suæ memor doctrinæ paulo ante Apostolis datæ: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercunt in eos.*

Sitne vero tam tristis rerum status remedio expers? mini me. Habet & sacerdos gladium; habet spiritualia arma, quia materialem gladium in suum mittere locum iussus, habet preces, habet lacrymas, ut S. Ambrosius ait, a) habet & anathemata, queis feriat, & sensibilius feriat, quia ad divisionem spiritus & animæ pe-

B 2

netrant;

a) "Dolere potero, potero flere, potero gemere; adversus milites Go-
thos lacrymæ meæ arma sunt, aliter non possum, nec debo resistere.
re. S. Ambr. in Orat. ad Auxent.



ntrant; verum, non nisi in maxima necessitate, & solum pro Christo vibranda. a)

Quid, si & ista non juverint? minime solicii simus. Etenim, tam perplexam dirimere litem, non Canonum Lectores, aut Candidatos tangit. "Quid in rerum discerne," ait Cl. Berti, "agendum sit, haud ignorat Ecclesiae Pastor constitutus a Domino, "ut oves suas pascat, omnipotem gerat curam, ne pereant; & committit id quoque habet Princeps catholicus, qui proficitur, se caput esse reipublicae, & simul membrum Ecclesiae." In tam tristis rerum statu potius ad primitivæ Ecclesiae exemplum, quam ad Canonistarum placita reflectendum. Quis ignorat, quantum Ecclesia Dei primum a Iudeis, postmodum a gentilibus, ac denique ab Hæreticis non modo ad honorum direptionem, sed & ad vitam usque, & sanguinis effusionem vexata, & diris persecutionibus exigitata fuerit. Sed ubi, vim vi, licet quandoque portuisset, repulisse comperimus? Hæc sunt, quæ nobis Historiarum produnt monumenta: Ecclesia Dei ærumnis & pressuris obruta sponsi sui memor effati: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, in spe & silentio mala cuncta patienter sustinuit. Nobis proinde incumbit, ut quorum intuemur exitum conversationis, imitemur & fidem.

Cavebit autem & Imperium in Christi Ecclesiam ejusque Sacerdotium terrenum stringere gladium, quia hæc non gladio Imperii, sed clavibus Sacerdotii sunt a Deo b) commissa. Recordabitur

a) Sic & Ambrosius Theodosium, & B. Innocentius Arcadium excommunicavit, & ab Ecclesiae ingressu prohibuit. *Can. Nos si incompetenter.* 2. q. 7. n. 41. ex Epist Leon. III. ad Ludov. August. ann. 815. scripta.

b) Idcirco Ecclesiis praefecti sunt Pontifices a reipublicæ negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab ecclesiasticis abstineant, ac, quæ siibi commissa sunt, capellant. Hac GREGORIVS II. ad Leonem Isaur. ann. 715. Concordant, quæ NICOLAVS I. Imperatori Michaeli



bitur Princeps, quantum piissimi Antecessores sui reveriti fuerint sacerdotes, qui ipsorum invigilant salutem, & a quorum manibus laetitiera accipiunt sacramenta. Recogitabit, quod religiosissimi Reges beneficentii regia Majestate & Munificentia sua dignis Sacerdotum distinxerint, & certatim illud exornarint, cumularintque exemptionibus, privilegiis, concessionibus, facultatibus, immunitatibus, cet. Haeque omnia, que ecclesiasticam hodie compellant immunitatem, semper voluerint sarta, rectaque, atque ipso peruentes invasores, aut iniquos usurpatores stricto represserint gladio.

Hoc equidem vel solum nomen *immunitatis Ecclesiastice*, quam Canonista in *localem, personalem & realem* dispergit confuevere, apud quosdam politica potestatis rigidiore simulatores nimis invisum est; verum, cum officii nostri postuleret ratio, ut non modo in *primi & postremi*, sed & in *mediis* a*xi* consuetudines, Canones, normas & formas Ecclesiæ oculum animumque conjiciamus, hinc

minimam soul entitatis modis B 3 illam
chaeli ann. 805, conscripti relat. Dift. XCVI. Can. cum ad verum.
"Cum ad verum, ait, venitum est eundem Regem atque Pontificem,
"ultra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex no-
men Imperatoris usurparit; Quoniam idem Medicor Dei & homi-
num, Homo CHRISTVS IHSVS, sic astibus propriis & dignitatibus
distinctis officia potestatis discrevit, propria volens humilitate
suum efficeri, non humana superbia rursus in infernum demergi,
ut & christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent,
& Pontifices curu temporalium tantummodo rerum Imperialibus le-
gibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus diffaret incursi-
bus, & ideo militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret,
"ac vicissim, ne ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset nego-
tiis secularibus implicatus. Hec GREGORIVS ex Epist. S. GELA-
811 ann. 491. ad Imperatorem ANASTASIVM, qui A CACIVM com-
munione privatum in sacris dyptichis recitari jussit. data deponit.
Consentit AVG a S. Victore L II. de sacram. fidei P. II C 7.
"Spiritualis potestas non ideo praesider, ut terrena in suo jure praesu-
dium faciat, sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, num-
quam sine culpa usurpat."



illam prorsus præterire nobis non licet. Minime litigabimus, an hæc immunitas juris divini vel naturalis, vel positivi sit, ut quibusdam placuit; sed persuasi, quod Sacerdotii præeminentia, & ejusdem a sorte laicæ exēmio non tam in jure Sacerdotii & Imperii, sed & in ipso naturali jure fundata sit, Canonum studiosos vel maxime decreē astumamus, ut, quid cirea immunitatem ecclæsticam sine Imperii & Sacerdotii læsione aut sentire, aut docere expediat, sedulo moneamus. In eo prorsus cum politice potestatis vindicibus conveniemus, quod immunitates & exemptiones, quæ aut in Sacerdotii depravationem, aut in Republicæ bene ordinatæ præjudicia vergunt, non inter salutares & legitimos Ecclesiæ usus, sed in periculosis ac nocivos Imperii abusus numerari debeant. *Tollantur igitur abusus, sed maneat usus.* Et, cum Politici queruntur abusus, quæso, ne obliscentur, res factæ minime unquam condere posse regulam Iuris.

Diximus, maneat quæque discreta potestas suos intra limites a Domino Dominantium descriptos, atque neutra alterius turbet, aut rumpat jura, a) hoc Sacerdotii, hoc Imperii reponit salus & incolumentas, quia non hominum, sed Dei potestatem invadunt; omnis enim potestas a Deo est, quæ & omnibus tribuitur æqua.

Qui
a) Apposite ad rem istam quidam apud Cl. Bertr. l. c. Ita discurrunt:
„Utrique esse in Christi Ecclesia utramque Potestate, spirituale vel,
„ac temporale, sed utrumque esse summatum, et independentem ab alia
„teria. Inde vero nulla confusio, nullum emergit incommodum, eo
„quod duæ illæ Potestates sunt in diversa Persona, in sacerdote, et in
„Principe: habent oppositos et disparatos fines, neque una debet li-
„mites suos transgredi, et usurpare alienos. Sancte salubriterque regi-
„tur Christiana res publica, si illa spiritualia, illa temporalia admini-
„stret: confusionem potius orituram, ut exorta est sapientia, si una
„alteri in iis, quæ huic competunt, velit arripere dominatum. Un-
„de enim Schismata, unde plurima bella, unde ipsorum Romanorum
„Pontificum exilia, oppressiones, iudicia, nisi ex ipsa aliena Potesta-

Qui potestati resistit, verba Apostoli sunt ad populum Romanum libertati natum, Dei ordinationi resistit. Ideo necessitate subditi esto, subjungit, non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vestigal, vestigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Quid si ordo inversus fuerit? Pro! quot bella, quot incendia, quot seditiones, quot calamitates, quot staruum subversiones, quot religionis dispendia, quot cædes atque ruinas sacræ & profanæ nobis enarrant historiae, quoties aut Imperium in Sacerdotium, aut Sacerdotium in Imperium incautum strinxere gladium, & mutuo aut turbarunt, aut invaserunt jura? Brevis non caperet pagina tot tristia veritatis lugenda exempla.

§. V.

*Sed ambæ mutuo conglutinanda charitatis, pacis
& concordie vinculo.*

Hæc est PAULI doctrina. Posteaquam jussérat IMPERIUM gladio timorem, clavibus vero SACERDOTII præstandum esse honorem, subdit: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; quienam*

diligat

„is perturbatione? Neque officit Christianæ Reipublicæ dignitati, atque divinæ institutioni, quod una Potestas non sit dependens ab altera; Siquidem Christiana Respublica, ut Christiana est, non querit ea, quæ sunt hujus mundi, nec negotiis secularibus implicatur. Id ei convenit, ut est societas hominum mortaliū, et terrenorum, civium in uno cœtu viventium, sive hæc societas Christi fidelium sit, sive paganorum, sive hereticorum. Ita in Ecclesiæ summa Imperatorum Regumque Potestas subest Potestati spirituali, non quatenus summa Potestas est, sed quatenus Christiana est, in iis nimis, quæ spiritualia sunt, et ad finem ultimum referunt, cuiusmodi sunt dogmata fidei, sacramentorum perceptio, Christianorum morum institutio, non in iis, quæ sunt temporalia, et attinet ad regimen politicum & civile.



diligit proximum, legem implevit. Verba, adamantino stylo cordibus Principum tum *Sacerdotii*, tum *Imperii* incidenda. Nam, cum vinculum quoddam mirabile, licet post tantos Philosophorum conatus ineffabile, animam conglutinat cum corpore, & ex utroque unum constituit hominem; & quousque corpus non adversus spiritum, & spiritus non adversus carnem prepostere insurgit, & corpori & animae succedit bene & prospere: Ita & Sacerdotium, quod prefigurat anima, & Imperium, quod corpus adumbrat, ut mutuo charitatis & pacis vinculo conglutinentur, necesse est, ne anima periclitetur falsus, & corporis intereat incolinitas. In hunc finem conspirant ambo, licet ordine, modoque distincto.

Turbetur in homine anima, languebit corpus; turbetur corpus, incerebit anima: Sic, si odiis, si persecutionibus ab Imperio lacescitur Sacerdotium, aut si inimicitias & tergiversationibus Imperium impetratur a Sacerdotio, & reipublicæ incolinitas, & Ecclesiæ salus in extremo versatur discrimine, & totus turbabitur orbis. Sit autem utraque pars charitatis, pacis & concordiae unita nexu, cuncta procedunt prospere.

Cauditor ipse necessitatem hanc suavem inseruit homini. Corpus eget anima, anima corpore; utraque igitur concordia & amoris nestenda vinculo. Eget pariter Imperium Sacerdotio, & Sacerdotium Imperio. a) Quomodo unum succurret alteri, nisi mutuus amor, mutuaque concordia nestat utrumque.

Re
a) *Hic prestant S. GELAII supra cit. ad Imper. ANASTASIVM verba:* „Christus memer fragilitatis humanæ, quod suorum saluti con-
„grueret, dispositione magnifica temperans, sic actionibus propriis,
„dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, suos vo-
„lens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus in-
„tercipi, ut & Christiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus ege-
„rent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispo-
„sitionibus uteverentur. . . Ut & modetia utriusque ordinis curare-
„tur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus acti-
„onum specialiter proficio aptaretur: „verum per quid aptabitur,
„nisi pacis, amoris & concordia mutua, nexus?



Reponet nonnemo, paritatem aut non tenere, aut probare, quod, sicut animæ omnimoda in corpus competit potestas, ita & Sacerdotio omnimoda congruat in Imperium.

Fateor, paritas non tenet in omni; tenet tamen in eo, a quo deduximus. Anima cum corpore unum constituit compositum; sed anima & corpus applicata Sacerdotio & Imperio in duobus subsistunt suppositis. Eece paritatis desequum. Velut autem in ipso uno homine præstantior anima corpore, ita præstantius Sacerdotium Imperio. Ast, non ideo corpus omnimodo subjectum est animæ, quia hæc præstantior, sed ideo, quia Deus, cum conderet hominem, ex infinita sapientia sua corpus soli animæ, animam vero nequaquam corpori subjecit.

Non ita Deus; cum enim divideret potestates, Sacerdotio divisit suam; & quia animas regit, excellentiorem commisit. Dedit & Imperio suam, & quia corporalem incolumentem curat, inferiorem dedit, non potestate, sed ordine inferiorem; cuilibet enim divisit suam, non pendente ab altera, aut subditam alteri (nisi in respectu nuper explicato) sed utrique plenam, quia amba non in uno, ut in homine, sed in duabus suppositis, Sacerdotio scil. & Imperio, non quoad potestatem, sed quoad finis & subjecti differentiam a Deo ordinatis subsistunt. Quis autem servabit hanc ordinationem, & quis couier finis & subjecti differentiam ab Imperiorum Conditore præscriptas, nisi pacis, amoris & concordie nexus, quo Deus, velut in homine corpus & animam, ita & in orbis christiano Sacerdotium & Imperium voluit conglutinata in unum? a)

Verum, enim vero: Quandoque Sacerdotii & Imperii causæ sunt

C

adeo

a) Expressius PETRVS DAMIANI in *Dialogo Disceptationis Synodalis adversus Cadolam Antipapam* ubi Imperium & sacerdotium duos apices & mundi vertices compellat, æque quidem sublimes, sed mutuae charitatis glutine jungendos.



adeo implicitæ, ut neutra ab alterius potestate separari queat; cuius tunc erit, illas decidere? E. G. Sacerdotium emanat Decretum aut Bullam, quæ aut laudabili Reipublicæ temporarie consuetudini, aut ipsius felicitati minime conveniunt: Vel Imperium ob necessitatem aut exigentiam status politici publicat Manifestum, quod Sacerdotium vel contra immunitatem ecclesiasticam, ut in tributis, vel contra statum clericalem, ut in bellorum injuriis *cet.* gravat. Cujusnam erit, in utroque casu sententiam ferre? Certum est, Imperium minime hodie concedere Sacerdotio, ut in rebus temporalibus, quibus admixtum est spirituale, immediatam & decisivam ferat sententiam; Ergo & a pari Sacerdotium lædi videtur, si Imperium in rebus temporalibus, quibus spirituale admixtum est, absolutam vellet exercere manum. Utraque enim Potestas immediata, neutra subdita alteri; & nulli alterius invadere jura permisum est. Quid igitur factū opus? En casum, ubi charitatis & unionis vinculum difficultatem tollet omnem. Si Imperium etiam absque ullo *Regio Placito* Sacerdotio amice exponeret, Bullam statui politico non congruere, materno dispensabit adfectū; Et, si Imperium monebit Sacerdotium, sic reipublicæ, cuius & membra sunt Clerus, exigere necessitatem, ut communia cum civibus onera porreret, Sacerdotium charitate tactum non tergiverfabitur, "flamini publico periculo exsiccationis exposito succurrere" affluxu etiam ipsorum rivulorum, qui sub ipso sacrarii lapide originem ducunt," uti ann. 1762. 9. Iulii Episcopus Neogardensis perorabat ad Clerum.

§. VI.

Qualibet quoque Potestas suis fulcitur legibus.

Sunt in qualibet societate, Republica aut Imperio, nos etenim modo regiminis forma parum urget; sunt, inquam, Principes inter-



ter & subditos, status inter & membra, ac ipsa inter membra & membra certi quidam respectus, relationes, ordines, vel quoquo nomine compellare volueris, inevitables, & ex ipso Imperio a Conditore ordinato manantes necessitudines, quæ sine legibus subsistere, aut intemeratae servari non possunt; imo ipsi respectus, ipse relationes, & ordines ipsi, si leges non sunt, leges tamen vel reposcent, vel efformant. His igitur utrumque Imperium fulciri debet, ne in disordines, ne in ruinam prolabatur.

Homo libertati creatus, sed per peccatum ad jugum natus, iugi impatiens est. Prò! finite ferocem belluam, & tumultuanibus aëtam passionibus freno incedere liberam, quot in disermina, quot in ruinas præceps ibit! Frenum sunt leges, quo domatur immanis bellua, quæ certo cerius homo sine legibus est.

Verum, velut homo quoad corpus, h. e., quoad ea, quæ ad societatem hominis temporariam pertinent; & modo quoad animam, h. e., quoad ea, quæ animarum regimen spectant, ferocire, & in turpes lapsus proruere potest, ita tum temporalibus, tum ecclesiasticis coercendus est legibus.

Diximus autem, potestatem quamlibet suis circumscriptam esse terminis, neutram sine periculo proprio, aut dispendio alterius aliena potestatis posse invadere jura. Hinc pleno fluit alveo, neutram alteri, nisi in ea sphera, qua præminet alteri, leges præscribere posse; sed, velut potestas queque sibi proprias, ac suo regimini conformes debet habere ac sanctificare leges, ita & utrique par, leges condendi, jus convenire.

§. VII.

*Nam & Sacerdotium habet potestatem condendi leges,
quas canones vocat.*

Quæsol quid vetat, ne Sacerdotium legislativam possideat po-

C 2

testa-



testatem, Imperii ad instar, ecclesiasticas, velut illud civiles, condendi leges? Nisi Sacerdotium cum Imperio confuderis, cerebrina manebit disparitas.

Tor, & vel plures, aut salrem sublimiores sunt quoad animas, earumque regimen, ut tot inter discrimina atque pericula seruentur incolumes, quam quot quoad temporale societas corporalis gubernium, ut reddatur & seruetur incolume respectus, relationes, ordines atque necessitates a subtilissimis Politicis umquam notari queunt.

Potestati temporali, sive Imperio non congruit, ut ante monimus, animas pascere, & earum æternæ invigilare salutem; ergo minus pro earum regimine atque salute ecclesiasticas praescribere leges. a) Cui ergo? nisi Sacerdotio, cuius curis *Dominus Dominantium*, & ille, cui omnis data potestas in cœlo & in terra, suas comilit oves.

Miramur, quod illi, qui potestatis utriusque differentiam palmarum capiunt, capere non possint, aut potius nolint, non Regum aut Principum, sed Sacerdotum & Pastorum esse, oves ad pacua ducere, aut errantes ad ovile, quod est Ecclesia, reducere, non in gladio & fulmine, sed in pedo & mansueta Pastoris voce.

Non licet nobis, qui ad studium Canonum currendum vocamur, Legislatoris supremi inverttere ordinem, nisi amoris, pacis & concordiae gluten, quo utramque potestatem optavimus unieniam, dissolvere velimus. Habeat ergo Imperium jus sumnum, civiles condendi leges: Sed & habeat Sacerdotium jus æquale, ecclesiasticas ferendi leges; hoc, in animæ salutem regendam, illud

in

a) *Laudatus Thomas Waldensis cit. L. II. Doctr. fid. C. 78 n. 6. ad seriatum*, potestatem sacerdotalem in negotiis terrenis cedere potestati Regiae, Regiam vero sacerdotali, ubi agitur de rebus divinis, subditum que: si vero peritur, in quibus sibi cedunt evenitibus? Responderetur, ubi de peccatis & divinis offensionis agitur, maxime contra Ecclesias & fidei disciplinam Regalis Potestas sacerdotali succumbit.



in corporum incolumitatem servandam. Sic utriusque Imperii
ratio, sic subditorum poscit diversitas. a)

Quia ramen Sacerdotii leges, leges spiritus, amoris, pietatis
& mansuetudinis sunt, hinc non leges, sed Canones eas vocari ma-
luit. b) Canones, qui materni amoris regulas in Ecclesia præfor-
mantur. Cum autem non semper vincitur amore & mansuetudine
iniquitas, hinc Samaritanus, qui Christus & ejus Ministri sunt, non
tam oleum, quam acetum portat; Oleum sunt suasiones Patris, ace-
tum vero sunt leges Iudicis; leges non modo directivæ, ut perpe-
ram afferunt, sed & coactivæ. Ad quid enim anachemata in sacris
Literis memorata? Ad quid praeceptum Domini, ut publicani &
ethnici instar habeatur ille, qui Ecclesiam mansuete hortantem au-
dire respuit? Aut non expedit quandoque corporis saluti, ut mem-
brum ferro rescindatur? Ecclesiæ, inquies, gladius non est. Utiri-

C 3

que

a) Cl. P. Zallwein *Dissert. de ann. 1752.*, C. II. §. 4. ait: "Aposto-
"lum sive qua Ministrum Christi & nomine Christi, sive qua Recto-
"rem Ecclesiarum varias sanxisse leges, quarum priores in numerum le-
"gum divinarum, posteriores legum ecclesiasticarum instar habentur,
"non minus Acta Apostolorum, quam Epistola ejus testatum faciunt."
Et §. 5. ait. "Episcopi vestigiis Apostolorum insistentes innumeris,
"eaque saluberrimas leges pro instruendis moribus fidelium ceter-
"sanxerunt. Leges istæ more loquendi antiquitus recepto, ac hodie-
"dum usurpatæ, vocabantur *Canones*."

b) *Idem cit. C. I. §. 3. ait:* "Ecclesia maluit sua decreta vocare Cano-
"nes quam leges, non ideo, ut perperam quidam volunt, quod sibi
"potestatem legislativam a Christo Domino concessam non crederet,
"sed, quod ipsa lex vel ex sua natura, vel ex dispositione legis, & ipso
"velut sono rigorem quemdam ex eo, quod vim coactivam, per impo-
"sitionem poenarum exercendam, sibi conjunctam habeat, præ se ferre vi,
"deatur, a quo Ecclesia Christi exemplum sui Magistri imitatur, quam
"longissime abesse, siusque fideles tanquam filios, excepto, si neces-
"ritas rigorem extorqueret, potius in vinculis charitatis trahere, quam
"in virga ferrea ad portandum suave jugum Christi compellere vo-
"luit."



que gladius est: duo enim in Orbe Christiano sunt gladii, licet non Petri, hortaru tamen illius, manu Regis, qui Advocatus & Vindex Ecclesiae est, quando utriusque reipublicae salus exigit, & certa conversionis spes affulget, exercendus atque vibrandus.

§. VIII.

Varii generis sunt Ecclesiae Canones.

Canones, sive leges ex jure manant. Tot ergo possunt esse genera Canonum, quot jura ad Ecclesiam spectant, ius autem, quod animarum regimen respicit, vel est *naturale divinum*, vel *divinum positivum*, vel *humanum*. Tria ergo ecclesiastica sunt jura, & horum varii Canones.

Ius *divinum naturale* est id, quod ex naturali religione manat, constans & immutabile, cuius synopsis decalogus refert.

Ius *divinum positivum* mutationi subest, quia Deus pro statuum utilitate condidit; sic per novum Evangelium ius verus sustulit; Evangelium autem ad finem saeculorum est duraturum. Canones juris antiqui vel ceremoniales, vel morales sunt: Ceremoniales & figurales completa figura extinti sunt; morales, quia in naturali fundantur, usque modo tenent. Evangelici Canones ad finem mundi ligabunt.

Ius *humanum* pro Ecclesiae necessitate, & animarum ad salutem regendarum utilitate institutum fuit. Hoc vel Constitutionibus, vel laudabili Consuetudine, vel Privilegiis, Concordatis cetero exercetur.

Prius de *Constitutionibus* sermonem instituemus.

Apostoli vel in unum congregati, quid fideles debeant, decrevere, & haec fuere *Constitutiones generales*; vel & in particulari, fidelibus providentes, quedam praecepere & disponere, & haec *particularis* appellandas; habentur in Actis & Epistolis Apostolorum, & in tra-

traditione Apostolica postmodum scriptis consignata; Inde *Canones & Constitutiones Apostolorum* CLEMENTI tributæ; sed non omnes dignam Apostolis reperiunt fidem, & communiter nonnisi L. earum capitula genuina haberi solent, a)

Pari passu eorum Successores incedebant; vel enim per Concilia generalia, vel particularia Ecclesiae pròspiciendo, vel Pontificis & Episcopilibus præceptionibus, responsis, decretis, ceter., fi- deles instruendo & regendo.

Canones Conciliorum œcumenicorum five generalium omnes observare debent, nisi contra laudabiles & antiquas Ecclesiarum consuetudines quidpiam decernant. Canones Synodorum particularium aut provincialium particulares obligant Ecclesias; si tamen ab aliis recipiuntur, & illos stringunt; atque, si a tota Ecclesia recipiuntur, vim legum universalium obtinent.

Pontificum Canones, Decreta & Responsa, si ab Episcopis in suis diœcesis publicantur & accipiuntur, universalium legum numerum ingrediuntur; si non, manent particulares earum, quæ re- ceperunt.

Patrum dogmata & doctrinæ in formam Canonum redactæ eorum, qui scripserunt, autoritatem induunt, & fontium, ex quibus desumserunt; non enim novas leges condere, sed Dei legem insinuare, explicare, & Traditiones aut divinas, aut apostolicas inculcare voluerunt.

Iam olim primorum Conciliorum Canones in corpus redigi cœpere; Ita Concilii Ancyrani in Galatia, & Neocasariensis in Ponto ann. 314. celebratorum, Nicani œcumenicæ I. in Bythinia ann. 325. convocati, Antiochienis ann. 341. celebrati b)

Lao-

a) STEPHANVS Papa in synodo Lateran. ann. 769. AÆ. IV. " Non am- plus, inquit, suscipiantur Apostolorum Caronum prolatæ pér S. Clemens tem" nisi L., capita, quæ suscipit sancta Dei catholica Romana Ecclesia.

b) In hac Synodo ab initio XXV. salutares Canones condabantur, qui & ab Ecclesia sunt recepsi & adprobati; sed post in Conciliabulum Ari- norum (Catholicis scil. recendentibus Episcopis) degenerans S. Atha- nasium depositus.



Laodicei in Phrygia ann. 370 & Gangrensis in Paphlagonia anni 375. & Constantinopolitani cœcumenici II. ann. 381. celebrati, a) Canones in corpus congregati nomen *Codicis Canonum Ecclesie universalis* adepti sunt.

Huic postea Codici adjuncti sunt Canones Concilii Ephesini cœcumenici III. an 430. Chalcedonensis cœcumenici IV. ann. 451. b) ac denique Sardicensis ann. 347. quod pro continuatione Nicæni habebatur.

Canones isti græca lingua conscripti, (quibus postea in Oriente L. Canones Apostolorum, & alii XXXV. Apostolici, c) Canones quoque Codicis Africani in græcam versi, ex Conciliis potissimum tempore S. Augustini habitis depromti, nec non Canones Concilii Trullani d) eo, quod vices Conciliorum cœcumenicorum V. & VI, quæ nullos edidere Canones, ac denique Concilii Nicæni II cœcumenici VII, accesserunt.) Codicem orientalis Ecclesie constituerunt, quo per VIII. faculta regebatur hæc Ecclesia. Accesserunt tamen postea successive Decretales Dionysii Alexandrini, Gregorii Thavmaturgi, & Epistola Basili M. ad Amphilochum, quæ Canonum loco habebantur in Oriente. Supradictus septem Conciliorum, generalium duorum, & particularium quinque Canonum Codex,

quo,

a) Fuit equidem hoc Concilium particulare quoad se, sed ob receptionem Canonum fidem conceruentium post a Damasco factam universale habitum, non tamen omnes ejus Canones recepti.

b) Referens est a Leone celebris ille de iurium inter Romanum & Constantiop. Ep. exqualitate statutus Canon.

c) In codice orientali in latinum traducto, & in Occidente obtinente, Canones Apostolici non reperiebantur, sed modo a Dionysio Exiguo ann. 530. adjectiebantur; attamen eidem Codici in Ecclesiis Francorum ann. 586. reperto teste Gregorio Turonensi L. V. C. II hi Canones adjecti erant.

d) Hoc Concilium, Quinisextum dictum, in Occidente non obtinuit, ejusque Canones ceu Ecclesie occidentalis moribus repugnantes reprobati fuere. ni sibi si ceteraque cœcumenica ecclesia inveniatur

ad hoc missus



quo, nescitur, in latinum versus etiam in occidentali Ecclesia obtinuit. a)

Anno circiter 530. Dionysius Exiguus supradictum Codicem Canonum VII. Conciliorum fidelius vertit, & rejectis illis, qui ab occidentali Ecclesia recepti non fuere, eidem Canones, Codici in Oriente, quos supra recensuimus, conjunctos, scil. Canones Apostolorum, Canones Conciliorum Chalcedonensis, Sardicensis, Carthaginensis & aliorum in Africa celebratorum adjecit, qui omnes in Occidente vim legis obtinuerant.

Idem Dionysius quoque Decretales Epistolas Pontificum a Syricio (Ante hunc enim Pontificem solum pauca genuina Pontificum Decreta aut Epistolae reperiuntur) b) qui ann. 398 obiit, usque ad Anastasium II. ann. 498. defunctum, collegit, que sub titulo Decretalium Epistolarum in Occidente vim Canonum, c) atque nomen *Corporis Canonum* sortita sunt.

Quod Dionysius ROME, hoc fecit Martinus Braccarense circa ann. 570. in Hispania; collegi quippe orientalis Ecclesiae Canones, & illis quosdam Conciliorum Hispаниorum adjecit. Adertas, velim, in toto per VIII. saecula in Occidente vigente Canonum Codice nec ullum, nisi ab Orientali mutuarum (si Pontificum Decretales Epistolas ad quosdam Episcopos scriptas excipit) a Romana Ecclesia conditum d) esse.

a) Et apud Gallia & Germania Ecclesias usque ad saeculum IX. solus vigeuit, quia Dionysii adiectiones recepte non fuerant.

b) Plurimas veterum Pontificum Epistolas ab antiquis Patribus & Historiis laudatas, uti *IVLLI* I. citatam in *Apologia S. ATHANASII*, *LITERI* commemoratas ab *HILARIO* in fragmentis, *DAMASI* ad Episcopos Illyrici, de qua *THEODORITVS* L. II. H. E. C. 22. aliasque complures in dubium revocare non possumus, ita Cl. Berti de *Theol. Discipl.* L. XX.

c) Non autem in Gallia & Germania ante IX. saeculum.

d) Causam notat Cl. *FLEVRY* in suis *Institutionibus Iuris Canon.* P. I.



Tandem Exigui Codex, ab Adriano I. CAROLO M. ann. 787. oblatus, ab eodem in Germaniam & Galliam translatus s^{ecundu}m saeculo IX, obtinuit, & hodie ab Eruditis *Ius Ecclesiasticum antiquum* compellatur.

Postremis CAROLI temporibus ex Hispania nova Canonum Collectio prodiit, quæ alicui ISIDORO, quem quidam Mercatorem cognominant, tribuitur. Saeculo nostro compertum est, Canones ISIDORI partim interpolatos, partim suppositos esse; non tamen inficias eunt, in illis plura Apostolicae doctrinæ & fidei conformia reperiri. Optandum foret, ut illi, qui contra Isidori Canones tam alte inclamant, docto criterio adulterinos & spurios a genuinis & utilibus fecernerent, & illos Codicis antiqui calci adjicerent.

Postea & aliae Canonum collectiones adornatae sunt, scil. a REGINONE Abate Brunensi, qui vixit anno 900., ab IVONE Carnutensi ann. 1010. & a BVRCARDO Episcopo Wormatiensi ann. 1020.

Denique ann. 1150. Bononiae prodit nova. Canonum collectio, quam GRATIANVS O. S. B. in Monasterio Ss. FELICIS & Naboris adornavit. Huic inserti fuere prefati Isidori Canones, & alijs ex libris Ss. PP., præcipue HIERONYMI, AVGUSTINI, ISIDORI Hispalensis *ceteri*. decepti, qui in varia Capita & Quæstiones divisi constituerunt hodie notabilem partem Codicis, quem *Corpus juris Canonici* compellamus. Non tamen in Ecclesia aliam obtinuerunt authoritatem, quam fontes habent, ex quibus a Gratiano derivati fuere. a)

Hanc

C. I. n. VII, quia Ecclesia Romana tam fideliter & constanter doctrinæ & discipline ab Apostolis tradita adhaerat, ut his mediis non egeret.

a) Auditores Rotæ Decis. apud Poen. 480. n. 18. "Nec refert, illos Canones recenser in Decreto a Gratiano compilato, quia, item Gratianus non publica autoritate infinita quæque illa Canonum Ecclesiasticorum, & legum etiam secularium Capitula in suum librum contulerit, nec legis condendi autoritatem habuerit, nec ab aliquo Rom.

"Poen-

Hanc Collationem Gratianus compellavit Concordiam discordantium Canonum, quia plures sibi contradicunt: Canoniste vero eam aut *Decretum GRATIANI*, aut *Decretales veteres* nominare solent. Est divisa in tres partes: Prima continet Distinctiones CI., & quilibet Distinctio plures habet Canones. Secunda complectitur Causas XXXVI., que in Quæstiones; Quæstiones vero in Canones dividuntur; Causa tamen XXXIII. septem Distinctiones includit. Tertia de Consecratione inscribitur, & in V. Distinctiones divisa est.

Post Gratianum plures equidem Canonum collectiones institutæ sunt, sed sola illa, que jussu GREGORII IX. RAYMUNDVS de Penafort Ord. Præd. natione Catalanus & ex Conciliorum, præcipue Lateranensem, Canonibus & ex variis argumenti cauillarum decisionibus compilavit, auctoritatem publicam consecuta est. In quinque Libros digesta fuit; Libri in Titulos, Tituli in Capitula, Capitula in numeros subdivisa. Primus Titulus XLIII. secundus XXX. Tertius L. Quartus XXI. Quintus XLI. continet. Nomen Gregorii Decretalium tener.

BONIFACIVS VIII. ann. 1298. Pontif. sui 4. Sextum Decretarium adjectis, publicavitque, qui Sextum Decretalium vocatur, & in V. Libros divisus est. Primus habet Titulos XXII. Secundus XV. Tertius XXIV. Quartus III. Quintus XII. Subnexæ sunt Sexto Regulae Iuris LXXXVIII.

Subnexuit IOANNES XXII. Constitutiones CLEMENTIS V, quæ hodie CLEMENTINÆ dicuntur, & in Libros V. sunt distribute. In

D 2

primo
 "Pontifice ille liber tanquam authenticus & legalis approbatus fuerit, in
 "de sit, ut quilibet Canon inde relatus, ex eo tantum, quod ibi refe-
 "ratur, non habeat maiorem auctoritatem, quam in proprio loco con-
 "sistens de sua natura esset habiturus. Nec Gregorius XIII. Gratiani
 "librum tanquam legalem authentizavit, cum solum emendari jussit,
 "& emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit ob-
 "servari."



primo sunt Tituli XI. in secundo XII. in tertio XVII. in quarto I.
in quinto XI. Idem IOANNES alias addidit Constitutiones non
ubique & in omnibus obrimenter, quas vulgo EXTRAVAGANTES vo-
cant; Liber unicus, habens Titulos XIV.

Alii quoque Pontifices Constitutiones edidere, quae in unum
collectæ nomen Extravagantium communium habent; sunt in Li-
bros V. distincti. In primo reperiuntur Tituli IX. in secundo III.
in tertio XIII., in quarto locus est vacuus, in quinto X.

Postremo celebrius Iurisconsultus adjectit *Constitutiones Pontifi-
cias*, quae nomen Libri VII. Decretalium fortuntur.

Hi libri, scil. GRATIANI Decreti tres partes, V. Libri Decreta-
les GREGORII IX., Sextus BONIFACII VIII., in quinque libros divi-
sus, CLEMENTINÆ sive Constitutiones CLEMENTIS V. in Libros V. par-
riter distributa, Extravagantes IOANNIS XXII., & Extravagantes com-
munes hodiernum Canonum Codicem, sive *Corpus Iuris Canonici*,
in scholis tradi solitum, conslituunt; Verum ex supradictis appa-
rebit, quod, velut Canonum studiosum quoque Codicem Canonum
antiquum nosse decet, ita & opporteat, ut Germanicus Canonum
Candidatus Canonum noviorum notitiam accipiat.

A collectione Gratiani usque ad Extravagantes Ioannis XXII.
tantus, ut vidimus, Canonum cumulus prodiit, licet vix duo efflu-
xerint saecula; Verum, justo nobis querere licet: Ergone Ecclesiæ
disciplina atque doctrina tot per Canones ab omnibus abstensa sit
nævis? minime; nam infinitos propemodum abusus, arque indies
crescentem disciplinæ collapsum ingemuit christianus orbis, & hinc
medendis malis convocatum est Concilium Constantiense ann. 1414.
& postmodum Basileense ann. 1431. Quamquam autem certum
sit, hac Concilia non quoad omnia fuisse ecumenica, nihilominus,
cum Concordata Germaniæ, quæ utique Germanum Canonistam
scire vel maxime decet, quibusdam Conciliorum Decretis insistant,
hinc & eorum notitiam capere, necesse est.

Eadem



Eadem pro Canonum studioſis circa Concilium Tridentinum summa militat ratio, cuius Canones utique hodie praecipuum doctrinae & disciplina Ecclesiasticae formam & normam referunt.

Non autem disciplinam tantum, sed & illa, qua aut circa fidem, aut circa generalem Ecclesiae in quoque sacculo faciem rescripta fuere, Candidatos informari opus est. Cum autem de his tum in generalibus, tum in provincialibus synodis aetatum fuit, hinc & istas praeterire non licet, praecepit illas, quae nostris in provinciis habita fuere.

Hactenus de Legibus sive Canonibus Ecclesiasticis locuti sumus, nunc pauca de ceteris memoremus.

Tenet igitur & ipsa Consuetudo, si laudabilis sit, virtutem Legis. Ex ipsa primitiva Ecclesia praelarum habemus exemplum. Nonne distinctis verbis in novo Testamento, & quidem in Apostolorum Concilio lex data fuerat de *non edendo sanguine & suffocato*, ne Christiani Idololatria communicare viderentur? Et quisnam Ecclesia Canon, nisi consuetudo, sanguinis & suffocati etum veritum sustulit, & prorsus ac liceo sustulit? Fors in quaque Diaecesi Canonista similes consuetudinis Leges, utinam semper laudabiles, reperier.

Privilegia non quidem Leges, sed a Lege exemptiones dicimur; verum solum respectu eorum, qui acceperunt privilegia, non autem eorum, qui dedit, & contra quos dedit: Hic etsi, qui dedit, eo ipso, quod unum a Lege eximat, ceteros per legem implicite obligat, ne privilegiorum jura perturbent, laedantque. Nam ad eamdem jurisdictionem pertinet, leges condere, & a lege eximere. Hinc & ligandi & solvendi potestas Ecclesia tradita fuit. Certum est, privilegia & dispensationes, in primis Ecclesiae saeculis minime confusa, Canonibusque Ecclesiae fuisse contraria; hinc nonnisi cautissime & ex gravissimis caussis imperienda: sed, si semel collata sunt, firmiter tenent, atque ea tueri



Legislatoris est; nisi inversus rerum ordo illa publico obesse bono declareret.

§. IX.

Etiam Concordata quodammodo Canonum rationem induunt.

Galliam & Germaniam per prima IX. sœcula nonnisi primorum Conciliorum Canones ex Oriente in Occidentem translatos coluisse, atque primævæ Apostolicae Traditionis discipline & doctrinae strenuos fuisse & mansissæ cultores atque vindices, supra memoravimus. Cum a Gratiani temporibus Canonum ecclesiastico-rum invalescerer cumulus, & præcipue schisma Avinionense contrariis sepe legibus Ecclesiam confunderet, inde discipline & doctrinæ rigor non modo tepercere, & collabi; Gratiani vero Decretum, neglectis illis primorum sœculorum Canonibus, in schoolis doceri ceperisset, primam primorum sœculorum libertatem Ecclesiarum Gallicarum & Germanarum, cui antecessores tam fauste & fortiter insisterebant, nonnisi Canonum cumulo variisque abusibus vineulatam esse, nemo ignorat.

Tum Germani, tum Galli ad primam Ecclesiæ libertatem, tot ababus labefactatam, aspirantes, sua ad Concilium Constantiense & Basileense gravamina per Legatos dirigeant; cum vero hac Concilia, Constantiense scil. & Basileense, schismatisbus turbarentur, & sic disciplina pristinum nitorem restituere frustra niterentur, CAROLVS VII. Gallorum Rex omnem Francie Clerum Bituricæ ann. 1438. convocabat, ubi Constitutionem, quam pragmatice appellerant, confecerat; Verum, cum erga supremum Ecclesiæ Caput minus reverenter, quam decebat, Constitutio pragmatica loqueretur, tamdem 1516. abolita, & a LEONE X. cum FRANCIS-

CIS-



cisco I. Galliarum Rege conventum est, ut in Concordata mutaretur, quæ Conciliorum Constantiensis & Basileensis Canonibus inixa, a LEONE adprobata, usque hodie in Gallia Canonum vim obtinent, & illis obloqui in Gallia nefas esset.

De Germanis paulo enucleatus loqui oportet. Diximus, Germaniam tot abusibus arctatam ad pristinam aspirasse libertatem, quam ut indipisceretur, sua congesit gravamina, & ann. 1418. in Concilio Constantensi per deputatos exhibuit; cum autem in illo schismatum tumultu dicta gravamina minime sanarentur, ad Concilium Basileense deportabantur; nec ibi optatum consequerantur finem. Concilio etenim post. Sess. XXV. in Conciliabulo degenerante Germaniae Principes neutralitatem iniere, dum interea, ut diximus, Galli Bituricis suam Pragmaticam condiderent. Conciliabulum Basileense varia Germanis faventia condebat Decreta, ut illos in suas traheret partes, acceptabant Imperii Principes, & sub ALBERTO Romanorum Rege, Moguntiae ann. 1439. 26. Mart. certis limitibus circumscriberant.

Cum autem EVGENIUS IV. Archi-Episcope Colonensem & Trevirensem, eo quod dicto Conciliabulo, quod Eugenium IV. deponere intendebant, perseveranter adhaerenter, suis exueret dignitatibus, Imperii Principes cum FRIDERICO III. Eugenio adhaerere concluderant, si gravaminibus medelam daret. Annuit Eugenius, & in hunc finem ad Diætam Francofurtensem suos mittit nuntios. In hoc frequentissimo Conventu ann. 1446. 1. Sept. Concordata Principum designantur, quæ per Legatos Romam missa 1447. 5. & 7. Febr ab Eugenio IV. ratihabita & adprobata fuere. Dabat equidem idem Eugenius eodem die reservationis & protestationis Bullam; verum e vita sublato Eugenio dicta Principum & nationis Germanicæ Concordata NICOLAVS V. ejus successor illimitare, nisi quod ad Compensationem quamdam, Reservationes scil. & Annatas a Germanis exposceret, ratihabuit, adprobavit



vit & confirmavit, nec non in Dieta Aschaffenburgenſia ann. 1448.
17. Febr. habita, per suum Legatum IOANNEM Carvajalem Tit. S.
Angeli Cardinalem prius Concordatis initis, firmatisque diētam
Reservationem & Annatarum compensationem a Principibus Ger-
maniae obtinuit.

Longius esset, ea, quæ in Concordatis inter Eugenium IV.
& Nicolaum V. & Nationem Germanicam pacta & conclusa fuere,
hic recensere. Illa propriam apud plures Authores, & præcipue in
libello, cui titulus est: Concordata Nationis Germanicæ integra,
est. in extenso legenda exhibentur. Unum tamen præterire non
licet: Hæc inter Concordata, quædam Germanis favorabilia in
Concilio Basileensi emanata, non quidem, ut Card. PETRA in
Tom. V. ad Conſtit. Apoſt. P. 2. & 5. ait, ex jure ipsius Conciliabuli,
quod nullum habebat, sed ex sola fedis Apoſtolica be-
nignitate contineri

Postquam, quæ & qualia sint Concordata, explicuimus;
commonstrarē supereft, hæc quoque Canonum, cum recipro-
ca forpre pacta, induere naturam. Vis Canonum utique a Le-
gislatoris mente pender; verum, Sedesne Apoſtolica, quo
denique tempore & motivo Concordata paciscitur, suam ex-
pressam explicitamque pro ea natione, cum qua paciscitur,
mentem non manifestat, publicatque? quæ, si semel re-
cepta fuerint, receptaque ferventur, præcipue, si cum recip-
rocis qualificantur Principum Concordatis, ut hic in Con-
cordatis Germanicis factum, astumque vidimus, utique quasi
Canonis normam & formam induunt; aut, si Canonis rationem
non haberent, certo dicendum foret, neque Principes, Nationem
que Germanicam sua de Reservationibus & Annatis stipulata fide
teneri.

327

§. X.

§. X.

*His omnibus Iuris Ecclesiastici Candidatos imbuere Professoris
Canonum Provincia est, quam sibi ab Eminentissimo
& Celsissimo Principe Electore Moguntino
recens Clementissime demandatam
indicit.*

Ex hac tenus dictis satis, superque prudentum quilibet colligit, Germanico Ss. Canonum studio nequaquam sufficere, ut quinque Decretalium GREGORII IX. Libros aut oculo, aut aure superficiali transcurrat; sed potissimum requiri, ut tum in veteres, tum in recentiores post Gregorium IX. in Ecclesia, & ab Ecclesia conditos Canones oculum, aurem, animumque intendar, si consummatum Iuris Ecclesiastici, sive Canonici notitiam indipisci cogiter. Neque & hanc perfecte adipiscetur, nisi ipsam Canonum conditorum causam, originem, rationem & fontem studiose indaget. Verum, unde aut ubi indagabit, nisi ipsam Historiam Ecclesiasticam adeat, & rerum revolutiones impio scruteretur labore? Ast & iste tempori huic studio destinato minime congruit. Superest igitur, ut ille, qui Canones docet, studio Canonico Historiam Ecclesiasticam jungat, & de seculo in seculum, quid, vel quare id Ecclesia aut circa dogmata, aut circa disciplinam praeceperit, statueritque, fideliter exponat, & candide explicet.

Et ecce, Iuris & Historiae Ecclesiastice Candidati nobilissimi! hanc utramque & Ss. Canonum, & Historia ecclesiastica spartam
**EMINENTISSIMVS AC CELSISSIMVS PRINCEPS DOMINVS,
 DOMINVS EMMERICVS IOSEPHVS,
 S. Sedis Moguntinæ ARCHI-EPISCOPVS, S. R. I. per**

E

Ger-



Germaniam ARCHICANCELLARIVS, & PRINCEPS ELECTOR, Dominus noster longe Clementissimus mihi ruper gratiosissime demandavit; Cum etenim Sacra VÆSAREÆ, REGIÆQUE MAESTATES me ad cathedram dogmaticam in Universitate Friburgensi in Brisgoja conserendum Clementissime vocarent, me autem fragilis sanitatis vicissitudine tanto confidendo itineri tunc prorsus imparem redderet, ut hoc mihi PATER PATRIÆ Clementissimus licet immerito collatum Cesareo Regium munus Erfordiae compensaret, me pluribus ab annis in hac Universitate Scripturæ, & Eloquenter sacra Professoris P. O. Munus gerentem ad prædictas Cathedras evchere Clementissime dignatus fuit. Sint immortales ELECTORI CLEMENTISSIMO gratia; atque Supremum Numen ad vota mea indies ad aram serenda vitæ sue nobis longe pretiosissima dies in Patriæ incolumitatem, in Universitatis nostræ studiis Clementissimis Tanti Principis ad florem pristinum reducendæ, splendorem & augmentum, jubeat ire continuo prosperos, sanos & incolumes, & utrinam numquam aut infirmitatis aut fortis adversæ nubibus obfuscando.

Iubeat & nostrum REVERENDISSIMUM ET ILLVSTRISSIMUM DOMINVM DOMINVM CAROLVM JOSEPHVM ADAMVM S. R. I. LIBERVM BARONEM A BREIDBACH IN BÜRRESHEIM Eceles. Metrop. Mog. & Equeſt. S. Albani prope Moguntiam, ut & insign. Colleg. ad S. Victorem Canonicum Capit. Et Insignis Imperialis Nordhusana Præfatum, Eminentissimi ac Celsissimi Archi Episcopi & Principis Electoris Moguntini, & Celsissimi Princeps

* * *

Principis & Episcopi Wircburgensis Consiliarium Intimum
Urbis ac Territorii Eifurtenis Propriiciem, Dominum ac
Mæcenatem nostrum longe indulgentissimum, qui fortis meæ
Fautor & Mæcas exitit gratiosissimus, jubeat, inquam, in
Urbis & Provinciæ nostræ solamen & fulerum, in Universita-
tis nostræ, cuius florem & decorem Protector & Promotor stu-
diosissimus adeo cordi habet, quotidie crescens & accrescens
augmentum & stabilitatem sanitatem, & prosperitate frui inte-
gerrima, & nulla temporum aut ætatum crisi climaæterica im-
mutanda.

Ut igitur ab **EMINENTISSIMO PRINCIPE ELECTO-**
RE demandatae, & ab **ILLVSTRISSIMO PROPRINCPE**
commendatae provinciæ in publicum Universitatis commodum,
quantum exiles meæ concesserint vires, faciam satis, Vobis no-
bilissimis, Adolescentibus operam in ſepedicto Canonico biforico-
Ecclæſiastico ſtudio, ſpondeo, quam poſſum, maximam, atque
ut & ipſi laborem vobis deſponſum frequenti veftra animetis
præſentia, vos officioſiſſime invito.

Dabam Erfordiae die 24, Decembris Anno O. R.
MD CCLXVII.



282

ERFURT, Diss., 1768/69



Farbkarte #13

Black			
White			
3/Color			
Magenta			
Red			
Yellow			
Green			
Cyan			
Blue			

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

E.J. num. 6.
11

1768, 11
**BREVIS
IVRIS ECCLESIASTICI
GERMANICI
NOTITIA**

QVAM
**PRAELECTIONIBVS SVIS CANONICIS ET
HISTORICIS**

IV. IAN. 1768. hor. m. 7 - 8.

EXORDIENDIS, ET SINGVLIS PER ANVM NON FERIA-
 TIS DIEBVS CONTINVANDIS

PRÆMITTIT,

ET

AD ILLAS AVDIENDAS

VTRIVSQUE STVDII ÄMVLOS

HUMANISSIME INVITAT

M. F. IORDANVS SIMON

ORD. FREM. S. P. AVGVSTINI, STVD. REGENS GENERAL. PROV. RHENO-
 SVEV. PRIM. DIFFIN., IN VNIVERS. ERFORD. SS. THEOL. DOCT.
 ET S. FACVLT. THEOL. ADSESS. IVRIS ET HIST.

ECCLES. PROF. P. O.

ERFORDIÆ, LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.

